Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Drei Vorlesungen in Rom - Cod. Ettenheim-Münster 196

Lugo, Juan

[S.l.], 1632-1633

Sectio I.

urn:nbn:de:bsz:31-116360

Visual Library

nobis definienda sit, prius tamen breviter doctorum placita referamus.

SECTIO I

Referuntur variae Theologorum sententiae in hac controversia

Prima sententia docet Angelos non posse inter se specie differre; hanc tenent Guilelmus Parisiensis lib. de universo parte 2 per multa capita, et Albertus Magnus in summa parte 2 q. 8, pro qua saltem quoad quaestionem de facto videntur stare multi PP. quorum verba affert Suarez in praesenti lib. 1 cap. 12. Fundamentum praecipuum videtur esse, quia non sit alia differentia specifica in Angelo nisi in ordine ad diversas operationes aut proprietates, non apparet autem quae sit operatio aut proprietas specie diversa in uno Angelo quae non sit in aliis, omnes enim sunt substantiae spirituales intellectuales, omnes habent potentiam locomotivam, non est ergo unde possit in illis inveniri differentia specifica; quod autem non omnes sint aequales, sed alii superiores alii inferiores, non videtur obstare, quia potest id partim provenire ex donis gratiae et gloriae inaequalibus, quales etiam inaequalitates invenies inter animas beatas per inaequalitatem meritorum absque differentia specifica substantiali, partim potest provenire ex inaequalitate substantiali individuali inter ipsos Angelos, si cum probabiliore sententia supponas non repugnare hanc inaequalitatem in his quae solo numero differunt inter se.

Secunda sententia contraria docet nec de potentia absoluta posse dari duos Angelos qui solo numero differant; hanc tenent plures Thomistae maxime ex recentioribus, quos affert et sequitur Granado in praesenti tract. 1 disp. 4 sect. 2. antiquiores vero explicantur a Patre Suarez c. 15 num. 2; fundamentum praecipuum desumitur ex S. Thoma in praesenti q. 50 art. 4, quia illa differunt solo numero quae differunt materialiter, Angeli autem non possunt differre materialiter cum non habeant ullam materiam neque ordinem ad materiam, ergo non possunt differre solo numero sed formaliter et per sequens specifice.

Tertia sententia admittit possibiles plures Angelos distinctos numero intra eandem speciem infimam; addit tamen id fieri non posse de facto iuxta convenientem rerum ordinem, quia multiplicatio individuorum intra eandem speciem infimam est propter corruptibilitatem et defectum, in Angelis autem qui sunt natura sua incorruptibiles non oportuit eos multiplicare numero sub eadem specie, quae multiplicatio conferret multo ad pulchritudinem universi, ut dicitur, quam differentia solum numerica; hanc tenent Aegidius, Capreolus et Ferrara quos refert et sequitur Arubal in praesenti disp. 150 cap. 5. et alii recentiores, quibus accedit novissime Augustinus Aurelius in suo tract. de Angelis nuper edito cap. 19. 2.

Quarta sententia affirmat possibiles esse plures species et plures etiam Angelos intra eandem speciem, et lege etiam ordinaria, atque adeo de facto dari aliquos specie diversos, alios solo numero; hanc tenet Scotus, Durandus

Gabriel

Gabriel, Alexander, Marsilius, Richardus, Argentina, Henricus et alii multi quos refert et sequuntur Molina in presenti art. 4, Vasquez dis. 181, Valentia disp. 4 q. 1 puncto 3, Suarez disp. 5 metaph. sect. 2 et in presenti lib. 1 c. 15 et alii recentiores.

Vt de istis sententiis feram iudicium necessario opus est, ni fallor, explicare quaestionis terminos, quaerit enim an possint inueniri duo Angeli qui specie ad inuicem non differant, oportet itaque scire quid sit differre specie aliqua duo, et quando dicenda sint specie diuersa vel solo numero, et quae regula tenenda sit vt inuenta differentia duorum possimus decernere an illa sit differentia specifica an solum indiuidualis, qui enim volunt differentiam specificam esse illam quae communis est indiuiduis eo ipso fateri coguntur repugnare speciem Angelicam multiplicabilem, iam enim illa non esset differentia specifica cum non esset communis multis; item qui dicunt differentiam specificam esse quae sumitur a forma et numericam esse quae sumitur a materia eo ipso debent dicere Angelos qui expertes sunt omnis materiae non posse differre solo numero; oportet ergo exigi in vtrumque statuere quando aliqua duo dicantur differre specie vel solo numero, vt ex hoc facile possimus de tota hac controuersia decernere.

SECTIO II

Quae et qualis differentia dici debeat specifica et quae numerica? Referuntur quaedam sententiae.

De hoc dixi aliquid in lib. de scientia, quae hic breuiter referemus vtpote ad hanc quaestionem et plures alias Theologicas necessaria; imo ergo aliqui volunt illam esse differentiam specificam in qua conueniunt plura inferiora numero diuersa, illam vero numericam quae conuenit vni soli indiuiduo, sed haec regula retineri non potest, imo quia differentia propria Dei qua differt ab omni ente creato conuenit vni soli Deo et tamen est plus quam differentia specifica et numerica. Ergo non omnis differentia quae conuenit vni soli est numerica, 2do quia alia plura sunt solo numero diuersa inter se per differentiam quae de multis praedicatur v.g. visio qua video hoc album conuenit cum alia visione eiusdem ~~[illegible]~~ albi in hoc praedicato scilicet esse visionem talis albi per quod praedicatum differunt illae duae visiones ab alia visione alterius albi, et tamen illud praedicatum non est specificum sed materiale, item vbicatio Petri in hoc spatio conuenit cum alia vbicatione eiusdem Petri in eodem spatio et differt vtraque ab vbicatione eiusdem Petri in alio spatio, et tamen illud praedicatum commune vbicationis Petri in hoc spatio non est specificum nec formale.

Alii qui consequenter dicunt illa etiam praedicata esse specifica atque adeo vbicationem Petri in hoc spatio differre specie ab alia vbicatione eiusdem Petri in alio spatio, et visionem huius albi differre specie a visione alterius albi, hoc tamen absque fundamento dicitur et contra omnium mentem, quomodo enim potest differentia solum numerica obiectorum refundere differentiam specificam in visiones? aut quomodo potest magis

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST